

lationum, officiorum & dignitatum. Nam quò quisq; ma-  
jora habuit merita in via, eo nunc majorem habet gloriam,  
perfectiores revelationes, digniora officia ac ministeria.  
Nos probamus illud D. Augustini: Esse sedes (thronos)  
dominationes, principatus, & potestates firmissime credo,  
& differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo  
me contempnas, quem magnum putas esse doctorem, quanam  
ista sint, & quid inter se differant nescio. Nec ea sane i-  
gnorantia periclitari me puto, sicuti inobædientia, si Domi-  
ni præcepta neglexero. Et alio loco: Quomodo se habeat  
beatissima illa & suprema societas, qua ibi sint differentia  
personarum, dicant qui possunt si tamen volunt probare  
quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor. Enchiridio  
ad Laurent. cap. 87.

XIV. Agemus jam de Angelorum intellectu. Is  
in actu primo consideratus fortassis ab essentia eorum  
realiter non differt. Actus autem ejus secundi, sine du-  
bio sunt actus elicit, sicut est in intellectu humano, et ex-  
ercebunt sine dubio cognitionem perfectam sui ipso-  
rum, hominum, rerumq; omnium naturalium, cum pri-  
mis autem DEI Optimi Maximi quantum hujus finito  
& creato intellectu cognosci potest. Quantacunque  
verò sit illa eorum cognitio sagacissima, liberas tamen  
hominum & aliorum Angelorum cogitationes & voli-  
tiones perspicere non possunt, nec futura contingentia  
valent certo nosse. Utrumq; enim horum scriptura so-  
li DEO tribuit; videatur II. Chron. VI. 30. Jer. XVII.  
10. item Esai. XLVI. 10. Daniel. II. 28. Quæ autem in na-  
tura à causis certis & definitis pendent, quales sunt ec-  
clipses solis & lunæ, hæc certissimè; quæ à causis con-  
tingenter aut etiam casu plane operantibus fiunt, pro-  
baliter tantum possunt cognoscere. Sed quid quan-

Intelle-  
ctus.